



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Praxis Iurispatronatus Acquirendi, conseruandiq[ue] illud;
ac amittendi modos breuiter continens**

Viviani, Giuliano

Romae, 1620

Cap. 3. sicut patronus potest variare, ita eius procurator, & quomodo fiat
variatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61772)

da, quæst. 7. art. 15.

2 Primus ¶ est casus, quando fuit promissio facta per patronum alicui de presentando quem velit in beneficio sui iurispatronatus, de quo loquitur cap. ult. de concess. præb. & tunc dicas, quod si dicta promissio fuit facta, antequam beneficium vacasset, cum sit irrita ipso iure, seruari non debet, ut in dicto cap. ultimo. si autem promissio fuit facta ecclesia vacante, & tunc patronus non obstante tali promissione potest presentare, vel saltem variare si est laicus: quod si iurauerit secus est, nisi absolatur à iuramento ad effectum variandi.

3 Secundus ¶ est casus, quando fuit facta alicui à patrono promissio de eo presentando,

& hæc promissio est nulla, cum sapiat symoniam, videtur enim initum pactum super presentatione: si autem patronus vnum presentavit, & iuravit non variare, tunc non potest variare, quia superior non debet admittere periurum ad presentandum ne superior sit auctor periurij. cap. mulieri. de iureiuran. & Lambertin. vbi supra art. 16.

4 quamvis alias ¶ valeat actus factus contra proprium iuramentum licet faciens efficiatur periurus. gloss. in cap. ult. verbo reuocatus de procurat. lib. 6. Felin. in cap. cum accessissent. col. 5. de procurat. Abb. in cap. dilecto. uum. 10. & seq. vbi Doctor. de præben. Alexand. consil. 16. num. 3. libro 3.

C A P V T T E R T I V M.

Sicut patronus potest variare, ita eius procurator, & quomodo fiat variatio.

S V M M A R I V M.

1 Patronus laicus potest va-

riare etiam si eius procurator alium presentauerit, ita & procurator variare potest.

N 2 2 Fa-

- 2 Factum à procuratore dicitur factum à principali.
- 3 Patronus laicus variare potest quomocumque sit patronus.
- 4 Collegium laicorum habens ius patronatus potest variare.
- 5 Presentatus non potest impedire patronum ne variet.
- 6 Patronus potest variare, vel unico actu plures presentando, vel successiue.
- 7 Variatio permittitur accumulatiue, non priuatiue.

1 **L**aicus patronus † variare potest etiã si eius procurator prius alium presentauerit, ita etiam eius procurator variare potest. Rocch. de Curte de iurepatr. in verbo honorificum. quæst. 20. Felin. in cap. cum venerabilis. num. 3. de exception. quod enim facit † procurator dicitur fieri ab eius principali. cap. mulieres. de senten. excomm. l. 1. §. deiecisse. ff. de vi, & vi arm. quod non procedit, si dictus procurator haberet tantum potestatem limitatam ad vnum presentandum. Lambertin. de iurepatronat. lib. 2. par. 2. quæst. 7. artic. 17. & quilibet patronus

3 laicus † etiam si sit patronus ex priuilegio, vel ex præscriptione, vel alio modo, variare potest: quod declara, vt per Lambertin. vbi supra art. 18. Quod procedit etiam si ius patronatus pertineat ad Collegium, vel Vniuersitatem laicorum, tunc enim potest Collegium, seu Vniuersitas vno presentato variare, & alium presentare. Nec obstat text. in cap. cum autem in fine de iurepatronat. quia ibi loquitur de Collegio ecclesiastico, nõ de seculari, prout declarat Lambertin. vbi supra. art. 19. Neque potest † primus presentatus impedire patronum, ne variet, & ideo appellare contra ipsum patronum, vt non presentet alium, nec tenet appellatio. ita Abb. in cap. pastoralis de iurepatronat. num. 1. & 2. vbi Hostien. Innoc. Ioan. And. super gloss. pen. & Card. col. 3. & Lambertin. vbi supra. ar. 20. alias destrueretur tota materia variationis, & auferretur talis potestas à iure patrono laico concessa.

Variatio autem à patrono fieri potest duobus modis.

6 Primo vnico † contextu plures

res præsentando secundum
Clem. plures. §. ult. de iurepa-
tronat. vt is instituatur, quem
Episcopus elegerit. vbi gloss.
Cardin. & alij. Secundo mo-
do potest fieri, plures ordine
successiuo præsentando, & sic
diuersis temporibus. dicto c.
quod autem. cap. cum autem,
& cap. pastoralis de iurepatr.
nec per præsentationem se-
cundi receditur à prima, sed
Episcopus instituet, quem
voluerit. Abb. Ioan. Andr. &
alij in dicto cap. cum autem,

& Lambert. vbi supra art. 21.
7 Et ideo patronus variando †
non recedit, sed accumulatur:
& ita variatio est permessa si
præsentet cumulatiue, non
priuatiue: nam si priuatiue
absque causa permessa præsen-
taret, non audiretur: quod si
secundo præsentet nil adden-
do, præsumitur cumulatiue
præsentasse, nã quilibet præ-
sumitur velle, quod ius pati-
tur. vide Rocch. de Curte de
iurepatr. verbo honorificum.
q. 13. & Lamb. vbi sup. art. 22.

CAPVT QVARTVM.

Variatio permittitur ita tamen vt ultra
duos non fiat.

SUMMARIVM.

- 1 Patronus variando duos
tantum præsentare potest.
- 2 Pluralis locutio duorum
numero est contenta.
- 3 Variatio fieri non potest li-
te pendente.
- 4 Nisi variando præsentetur
vnus ex præsentatis.
- 5 Episcopus in casu variatio-
Praxis Iurispatron.

- nis potest instituere quẽ vult.
6 Et magis idoneum eligere.
7 Patronus si prius dignum,
postea indignum præsentauit,
dignus institui debet.

1 **P**atronus † ergo potest
variare, & pluries præ-
sentare: ita fuit conclusum.
Quod tamen intelligi debet,
quod ultra duos variare non
pos-

N 3 pos-